

bunt, etiamsi media gratiae sufficientissima, imo abundantissima & largiora nonnunquam, quam alii ab ipso perceperint. Vid. quae praeter Nostratum Theologos optimos, ut CALOVIVM Theol. Apostol. Rom. Oraculo 68. seqq. SCHERZERVUM Syst. L. XVIII. p. 529. & alios, nuper Autor der *aufsrichtigen Untersuchung / ob die Reformirten mit den Lutheranern in der Lehre übereinstimmen.* p. 33. seq. non praeter rem de hoc negotio disseruit.

XVII.

Tanto itaque pereuntium *numero subtracto* parvum satis salvandorum *κατάλειμμα* id est *residuum* relinquitur. Ita enim commodissime exprimitur vox Hebraea Esaiæ adhibita $\gamma\text{N}\Psi$ & quod memorabile est in binis versibus trina vice, ut vel hac ratione nos Spiritus S. attendere jubeat, quid sub his *reliquiis* designare velit. Frustra sane operam adhibent, qui conficere volunt, locum Esaianum de hominibus ex publica & temporali calamitate liberandis intelligendum esse, nequaquam tamen videntur magnitudinem illius promissionis assequi. Quandoquidem optimus interpretis sui est Spiritus S. qui hic Rom. IX. clavem suppeditat interpretationis, non per *accommodationem corporalium ad spiritualia*, sed per genuini objecti demonstrationem, quod constituunt non liberandi ex afflictionibus & aerumnis, sed revera aeternum salvandi & a pernicie aeterna abducendi. Quo in negotio sicut in reliquis ejusmodi dictis vindicandis, immortalis noster CALOVIVS operam egregiam posuit, ut ostenderet de Conversione ad Christum & salute esse sermonem. *Bibl. illustr. ad b. l.* Ita divus LUTHERVS quamvis videatur in versione loci nostri obscurior. *Es wird ein Verderben (id est consummatio) und Steuern (i. e. abbreviatio) geschehen zur Gerechtigkeit / (quod Paulus dicit ἐν δικαιοσύνη) und der Herr wird dasselbe Steuern thun auf Erden; & loci Esai-*

Esai-